

Christian Kortholt

**Ad Nobilissimum Eruditissimumqve Dn. Johannem Gottlieb Möller/ Gedanensem, Honoris Philosophici Candidatum longe dignissimum; Auditorem non adeo pridem suum ... Amicum affectu singulari complectendum, Christiani Kortholti, S. Theol. D. Academiae Holsatorum Kiloniensis Pro-Cancellarii & Professoris Primarii, Epistola Gratulatoria**

Rostochi[i]: Typis Jacobi Richelii, [1693]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837677123>

Druck Freier  Zugang



Promotionsprogramm und  
für  
niedersächsisch-lanb. <sup>1</sup>berufliche <sup>2</sup>Rostocker  
1-5. <sup>3</sup>Recht <sup>4</sup>Studien.  
6. <sup>5</sup>Bücher

Mkl *h*  
3326



Mulbg h  
3326



57.

Ad 5

Nobilissimum Eruditissimumqve

**DN. JOHANNEM**

**Bottlieb Köller/**

Gedanensem,

Honoris Philosophici Candidatum

longè dignissimum;

Auditorem non adeo pridem suum, Con-

victoorem, & Σύνειον svavissimum,

Amicum affectu singulari

complectendum,

**CHRISTIANI  
KORTHOLTI,**

S. Theol. D. Academiæ Holsatorum Kilonien-

sis Pro-Cancellarii & Professoris

Primarii,

**EPISTOLA GRATULATORIA.**



ROSTOCH,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

1693



NOBILISSIMO FRATRI  
DN. JOHANNI

BRUNO

HONORIS P. HEDERICH CANDIDATI

GRATULATIO

AMICIS

CHRISTIANI


KORTHOLO

S. THEOD. MERTENSII

EPISTOLA GRATULATORIA

Typis JACOBI MICHELII, Amplius Senae Typogr.





Quoties de Te cogito, o optime MÖL-  
LERE, ( cogito autem sapissime )  
toties simul in memoriam mihi re-  
voco ætatem Juvenilem vitamque  
Academicam duorum illorum Ec-  
clesiæ luminum, BASILII, M. & GRE-  
GORII NAZIENZENI, qvalem in  
oratione, qva priori parentat, poste-  
rior nobis depinxit, *Unum hoc ab utroq; nostrum agebatur,*  
*ajens, ut Virtutem coleremus, & ad futuras Spes vita nostra*  
*rationes accommodaremus, ante mortem a terra migrantes.*  
*Quod quidem nobis ob oculos proponentes, vitam actionesq;*  
*omnes nostras dirigebamus, tum divini precepti ductum se-*  
*quentes, tum alter alteri virtutis studium exstimulantes: atq;*  
*( nisi hoc arrogantius dicere videar ) uterq; alteri norma &*  
*amissis eramus, qva rectum a pravo discernitur. Nec enim*  
*cum flagitiosissimis ac petulantissimis quibusq; sodalium no-*  
*strorum consuetudinem habebamus, sed cum optimis & hone-*  
*stissimis; nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis &*  
*pacatissimis, ac iis, quorum consuetudo maximos fructus af-*  
*ferebat: illud nimirum exploratum habentes, multo facilius*  
*vitium contrahi, quam virtutem communicari; quemadmo-*  
*dum facilius quovq; morbus contrahitur, quam sanitas im-*  
*pertiatur.*

*peritatur. --- Duae nobis viae notaerant: altera primaria & praestantior, quae videlicet ad sacras domos nostras sacrosque Doctores ferebat; altera secundaria, quae ad externa Doctrinae Professores ducebat: reliquas omnes volentibus reliqueramus. Nihil enim, mea quidem sententia, magnificandum est, quod nihil affert ad recte honesteque vivendum, nec sui studiosos meliores reddit. --- Atque ut rem in pauca contraham, perniciose quidem aliis Athenae sunt; nobis autem nihil detrimenti ab illis allatum est, utpote animo communitis firmissimeque obseptis.*

Ista, inquam, mihi in mentem veniunt, de Te ubi cogito, sicut etiam lecta haec mihi & expensa, tua mox studia, vitam, actionesque animo meo sistunt. Etenim qualem Te gesseris, in Athenis his nostris Cimbricis versatus, qui tui haec fuerint conatus, labores, ingeniique exercitia, qui mores & vivendi ratio, neminem nostrum fugit, notum est omnibus: at mihi praesertim, cujus tecto, convictu, & quotidiana conversatione es usus. Vere de Te affirmare ego possum, quod Basilii Gregoriique pressis vestigiis, unum hoc apud nos egeris, ut Virtutem coleres, ad divini praeccepti ductum vitam actionesque componeres, & commilitonibus exemplo esses quod intuerentur quotidie & pro virili sequerentur. In studia ut incubueris Academica, sic docuisti Praeceptores tuos, ut Epicteti imitatus sis oves: quae, quantum comedissent, non sesquipedalibus apud pastorem jactitabant verbis, sed remonstrabant ipsa, vellere, lana, lacte. Certe publica apud nos a Te edita solidae eruditionis specimina industriam tuam ita loquuntur & solertiam, ut vel meis vel aliorum verbis haec non sit opus. Nunquam porro tuam desiderarunt praesentiam, sive Ecclesiastica sive Academica

mica subsellia; desiderarunt vero nunquam non Oenopolia & Zytopolia. Nemo in monomachias descendere Te vidit unquam, cujusmodi, proh dolor! cum presentissimo animæ corporisque periculo à Pietatis Legumque incuriosis non raro committi solent Academicis: observavimus autem persæpe ea in eruditorum palæstris a Te instituta certamina, quæ ad perficiendos inque Pietatis Doctrina & Veritate firmandos mortalium animos plurimum conducunt. Conversatio tua Academica nulli obfuit, profuit vero multis, tenuioris præsertim fortunæ Studiosis, quibus fratrem Te præstitisti germanum, non commilitonem; & adeo quidem, ut jure de Te usurpare liceat de benefico olim Boazo dicta: *Benedictus sit à Domino, ut qui non destitit exercere benignitatem suam erga vivos & erga mortuos!* Nosti ipsemet, norunt alii, tui imprimis nostrique sympatriotæ, novit *ὁν ἐσ ἀγίως* vestras ille, hujus olim Universitatis laudabile membrum, quorsum nunc digitum intendam. Legis, ut in aliis, ita heic quoque, parentum vestigia, quorum in egenos miserosque munificentiam ignorat nemo, nisi qui ipsos. Infixum hæret animo tuo Apostolicum illud: *Si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque cognitionem, Charitatem autem non habeam, nihil sum!* idque diligentius expendens, hoc omni studio & conatu egisti semper, ut nec rudis tua Pietas, nec sine Pietate tua esset Eruditio; verum (quod in futuro Doctore Ecclesiastico fieri omnino oportet) solidæ Doctrinæ amor cum sincero Christianismi practici studio amice in Te conspiraret: omnem, inquam, movisti lapidem, ne vel in illorum referri posses classem, de quibus ita quæritur alicubi insignis ille Theologus, Dn. D. Dorscheus: *In eo laborant, ut bre-*

vi experiantur, an lingua sit animo expeditior, & an supinam ignorantiam felici loquacitate tegere possint. Nam, ne profundius in DEI consilia & illos beatissimos sacrarum literarum sinus introspeciant, sancta simplicitate (Hieronimus, ad Nepotianum & Paulinum scribens, sanctam rusticitatem vocat) prohiberi se perhibent. Itaque nihil eis est, Plautino utar, confidentilozivius; ut illo tandem imbuantur habitu, quem reverentur omnes. Unde semidocti cruda adhuc studia propellunt in templa, artificiosissimi scriniorum alienorum expilatores. --- Scilicet magno animo hoc agunt, ut parum adferant animi in suggestum, multum soni, mera tintinnabula! vel his accenseris etiam de quibus S. ait Cyprianus: *Iidem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipfos censores pariter & nocentes. Damnant foris quod intus operantur; admittunt libenter, quod cum admisserint criminantur!* & quemadmodum semper animo tuo obversatum est B. Hieronymi, Nepotianum, sacris dicatum Juvenem, instruentis, salutare illud monitum: *Nolo te declamatorem esse & rabulam, garrulumque sine ratione; sed mysteriorum peritum, & sacramentorum DEI tui eruditissimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est --- Nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem lingue volubilitate decipere, quae quidquid non intelligit, plus miratur: ita haud minus observandum Tibi duxisti quod eodem loco is habet: Non confundant opera tua sermonem tuum: ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo haec, quae dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de Jejunio disputat: accusare Avaritiam & latro, potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent.*

Talis proinde cum sis, mi DN. MÖLLERE, hisque cum

cum emineas virtutibus, quid mirum, si præmia ad Te properare incipiant, etiam quæ Virtutem solent, ut corpus umbra, comitari? Quamquam quid de properatione dico? quæ nulla omnino heic est, ad merita tua si attendamus, jam pridem non vulgaria sibi βεβήια deposcentia. Quibus haud alia de causa hucusque caruisti, nisi quod, ipsam sibi Virtutem pulcherrimam mercedem eandemque sibi ipsi Titulum esse, nec alium requirere, ut illi ajunt, prudenter es arbitratus. Indeque ne nunc quidem, scio, de talibus cogitasses, nisi benevolis aliorum consiliis heic obtemperandum potius, quam tuo ipsius judicio standum esse, & recte quidem, censuisses. Tametsi enim verum esse non negamus, quod ipsa sibi sufficiens Virtus, suaque luce conspicua, alieno haud egeat subsidio; honestum interim sapientum judicio non minus habitum est semper, haud defugere, si res poscat, justam commendationis laudem; ut quam non nisi λόγον esse ἐμφανίζοντα μέγεθος αἰρετῆς, scite alicubi scribit Philosophorum Princeps. Ita ergo fit, ut, postquam Rostochiensibus meis eruditionem tuam abunde probasti, ad inclutam Gryphiswaldensem Academiam nunc pedem promoveas, aucturus ibi solemnitates, quæ in receptæ ante elapsam modo seculum per augustum Sveciæ regnum doctrinæ Evangelicæ memoriam publica ibi auctoritate (faxit Deus feliciter!) instituentur, Gradumque adepturus (ut vulgo loquimur) DOCTORATUS PHILOSOPHICI quem MAGISTERIUM appellant, id est, viam Tibi muniturus, qua ad ampliores posthac dignitates in literaria Republica proveharis. Quod quidem non sine omine ita fieri existimo, verum à DEO sic disponi & dirigi, ut, qui in Augustanæ Confessionis honori dicato Jubilæo primos honores Academicos

cademicos capis, ad eo fervidiori studio majoriqve ala-  
critate cœlestem isthanc doctrinam propugnandum &  
propagandum hoc pacto instigeris, utqve tanto minus  
ita insigne per solemnem illam fidei professionem in Chri-  
stianum orbem collatum cœlitus beneficium animo tuo  
memoriaqve excidat. Bonum factum!

Accipe, quæ meruit tua dudum præmia  
Virtus,

MÖLLERE, Aonidum pars ter-amata  
Chori.

Accipe quam præbet Tibi Gryphica læ-  
ta Coronam,

Gryphica, nunc DOMINO jubila sancta  
sonans.

Euge! Tibi profint studiorum justa

*Begeßis.*


Ter Tibi sit felix illud honoris iter!

Kiloni Holsatorum, mense Februario Anni clb lxxcxiij.









desiderarunt vero nunquam non Oeno-  
a. Nemo in monomachias descende-  
vam, cujusmodi, proh dolor! cum  
imæ corporisqve periculo à Pietatis Le-  
sis non raro committi solent Academi-  
us autem persæpe ea in eruditorum pa-  
tuta certamina, quæ ad perficiendos in-  
strina & Veritate firmandos mortalium  
n conducunt. Conversatio tua Acade-  
profuit vero multis, tenuioris præser-  
lios, quibus fratrem Te præstitisti ger-  
militonem; & adeo quidem, ut jure de-  
at de benefico olim Boazo dicta: *Benedi-  
t qui non destitit exercere benignitatem su-  
rga mortuos!* Nosti ipsemet, norunt alii,  
rique sympatriotæ, novit *ὁν ἐν ἀγῶνι* ve-  
lim Universitatis laudabile membrum,  
gitum intendam. Legis, ut in aliis, ita  
arentum vestigia, quorum in egenos  
ificentiam ignorat nemo, nisi qui ipsos.  
nimo tuo Apostolicum illud: *Si habeam  
verim mysteria omnia, omnemq; cognitio-  
ntem non habeam, nihil sum!* idque dili-  
is, hoc omni studio & conatu egisti sem-  
tua Pietas, nec sine Pietate tua esset Eru-  
dod in futuro Doctore Ecclesiastico fieri  
solidæ Doctrinæ amor cum sincero  
actici studio amice in Te conspiraret:  
, movisti lapidem, ne vel in illorum rem,  
de quibus ita qveritur alicubi insignis  
Dn. D. Dorscheus: *In eo laborant, ut bre-*

) ( 3 *vi*